



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De Oratione, quid & quomodo orandum sit 35

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

sunt, intueri & perpendere volet, is facile videbit, nihil in hoc Articulo, quemadmodum nec in aliis omnibus positum esse, quàm quod pium est, & vtile ad ædificationem.

Duodecima XIII. XIV. & XV. Accusatio Aduersariorum.

De Oratione, Quid sit, & Quomodo orandum sit.

CAP. XXXV.

RIMVM dicunt, Christum Dominum permisisse nobis liberum, vt à Deo postulemus res quaslibet suo verbo nõ contrarias: Librum verò Reformationis velle, vt pro iis tantum rebus supplicemus, quas Christus vt precaremur mandauit. Atque hoc modo rursus de expresso mandato loquuntur, vbi Liber de generali tantum agit, etiamsi id non sit verbis expressum, sed sensu communibus & generalibus verbis traditum.

Verum qua fronte audent Christianum propositum Archiepiscopi & Patris sui tam manifestè pervertere? Christus Dominus & Saluator noster, cum diceret, Petite & accipietis, proculdubio ea tantum omnia petere nos iussit, quæ nobis ad salutem conducunt, faciuntque ad gloriam eius in nobis amplificandam, iuxta orationem quam ipse nobis præscripsit, Pater noster qui es in cælis, &c. Nihil igitur boni à Deo petere possumus, quin habeamus de eo mandatum Christi Domini. Quod malum nobis ac perniciosum est, pro eo orare non debemus, nec etiam possumus id in nomine Iesu petere. Quare non erat vt Aduersarij librum hoc loco reprehenderent. Verum oportet vt caueant ne homines nimis ad verbum & mandatum Domini dirigantur.

Secunda pars huius Accusationis.

De commemoratione bonorum operum inter orandum.

CAP. XXXII.

Altera Accusatio est, quòd dicunt quædam orationes sanctorum, vt Ezechia, & Dauidis recensere coram Deo bona illorum opera. Librum verò Reformationis velle, vt in Oratione nostra confiteamur, quod nihil præter iram meram, & vindictam promeriti sumus: id quod Orationi sanctorum aduersetur.

Responsio.

Quoniam verè bona opera sunt singularia & præstantissima dona, ac signa gratiæ & amoris diuini erga nos, sicut etiam iudicia & argumenta fidei atque charitatis nostræ erga Deum, suo modo admodum quoque consolantur orantem, & possunt tanquam realis fidei nostræ, ac voluntatis Deo seruiendi & obtemperandi confessio inter orandum

comme: